

05

A

728



Ex Philosophiâ Practicâ

de

Virtute in genere,

Duce Deo & Preside,

M. MICHAELE WENDELERO,

Facult. Philosoph. Adjuncto,

publicè disputabit

JOHANNES Kübell

Zittâ · Lusatus

ad diem 6. Julij horis antemeridianis

In Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXIX.

Ex Philologia Practica

Virtute in genere

Duce Doro Præfide

M. MICHAEL WILHELM VON NIDELRO

Facult. Philosophicæ

JOHANNES WILHELM

ad diem 6. Julij horis antemeridianis

827 A 50

WITTEBERG

Typis JOHANNIS RÖHNERT, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXXIX



Præloquium.

Specialem ἀρετολογίαν, octo Disputationibus absolutam, non ita pridem publici juris fecimus: excipit eam nunc Generalis, tribus preponenda actibus. Ordine, inquis, inverso, cum generalia specialibus precedere soleant. Ita est: At ne erres velim; negocium enim nobis est non cum Tyronibus, sed exercitatis. Accedit, quòd summa necessitas hanc nobis imponebat legem; in tantâ enim studiosorum paucitate idoneos sufficientesque, qui hanc respondendi in se susciperent molem, vix sperabamus. Hinc ἕτερον ἄλλοτερον fecimus, & tantum non terram cum cælo miscuimus. Ob eandem causam superiori hyeme in privato angulo leviter & breviter, ut natura loci postulare videbatur, integram Philosophiam Practicam typis excudi curavi, finemque, Deo & Collegis meis sit gratia, adeptus felicissimum. Id duntaxat hic commemoro, me hos ipsos labores, si Deus nostris alveolis Academicis concesserit Halcyonia, ea, quæ in me potest cadere, publicâ iterarum diligentia; eosque vel additione vel subtractione, optimis emendationis Magistris adhibitis, correcturum. Nam publica, ut par est, majoribus elaborantur virib9. Hæc vice, quæ restant, absolvimus. Primum præsensque exercitium virtutem explicat in genere: secundum actionum humanarum Principia, & tertium affectuum naturam. Cœlitus hos nostros rege flamine, Christe, labores.

Præcepta.

1. Virtus est habitus animi, quo vir bonus efficitur ad munus suum benè ac laudabiliter obeundum.
2. Dividitur in Intellectualem & Moralem.
3. Moralisis est habitus electivus in mediocritate constitutus, & ratione definitus, pro ut vir prudens eam definirer.
4. Oppositum est vitium Morale.
5. Vitium Morale est aberratio in moribus, quâ contra naturæ legem & rectam rationem aliquid committitur.

Explicationes.

1. §. Nomen Virtutis (deducitur à viro, quòd hunc virtus maximè deceat) variè accipitur pro diversitate Subjectorum, de quibus

A 2

quibus

quibus dicitur, Vel enim de Deo, vel de Creaturis, & præsertim de rebus inanimatis, vel in specie de hominibus prædicatur. Quando DEO attribuitur, denotat primò summam ejus perfectionem, & potentiam, per quam omnia operatur: deinde quoddam divina potentia opus, sive medium, per quod Deus in nobis potenter agit.

2. §. De Creaturis ubi dicitur, significat 1. Potentiam & vim agendi tam supernaturalem, quàm naturalem, tam innatam, quàm accessoriam. Hinc emanant triti loquendi modi: hæc est virtus caeli, stellarum, elementorum, &c. 2. Fructus terræ ac arborum. 3. congregationem vel exercitum. De hominibus si affirmatur, notat 1. naturalem inclinationem ad virtuten. 2. Peritiam, solertiam & sedulitatem in quovis statu. 3. singulare miraculorum donum. 4. opus eximium & præclarum. 5. Habitum bonum animo inhærentem.

3 §. Tripliciter autem animo hominis inhæret Virtus, vel per naturam, vel per infusionem, vel per continuata exercitia. Unde triplex emergit Virtus connaturalis, infusa & acquisita. Hæc in præceptis definitur in tantâ latitudine, ut etiam Intellectualibus competat. Hinc dividimus in Intellectuales & Morales, quarum illæ mentem, hæ appetitum hominis perficiant. Missis prioribus, de Moralibus tractatio venit instituenda.

4. §. Nam habitus Intellectuales, quomodocunque etiam considerentur, seu in suâ quidditate, h. est, notione, ut ajunt. primâ, seu ratione subjecti, in quo sunt, nempe intellectûs, hoc est, notione secundâ, nullo modo ad Philosophiam Practicam pertinent. Non priori, quia ita Metaphysica eas considerat. Non posteriori; quia Ethica non agit de subjecto horum habituum, nempe intellectû. Adde, quòd Summum Bonum civile his, tanquam mediis, non indigeat.

5. §. Moralis dicitur à moribus, quos informat. Unde & ipsa disciplina de hac Virtute denominatur Moralis. Græcis audit καλοκαγαθία h. e. habitus benè agendi, & αουδὴ i. e. Industria, & exercitium animi singulare. Latinis vocatur Probitas, quia probum reddit hominem: Honestas ab honore, quia honor virtuosus debetur: Integritas, quia integrum ac perfectum virum efficit: Boni mores, quia virtutis cultorem oportet esse bene moratum.

6. §. Hæc

6. §. Hæc Virtus definitur in Præceptis, quod sit Habitus. Præsupponitur enim & rectè quidem, virtutem moralem non in corpore, sed animâ residere, cui tria rerum genera inhaerent, *affectus*, quatenus in actu secundo, h. e. in operatione considerantur: *facultates* à natura insitæ, quibus ad aliquid aut agendum aut resistendum apti sumus: *qualitates* in hominem introductæ, quibus habilis redditur ad eas operationes, ad quas edendas sola natura non sufficit.

7. §. Hinc deducitur Corollarium tale: *Virtutem Moralem, vel esse affectum, vel potentiam vel habitum.* Non esse affectum, patet. Nam propter affectus, ut propter virtutem, neque laudamur, neque vituperamur. Affectus sunt repentini motus absque electione, virtus autem cum consilio conjungitur. Affectus animus non nihil perturbatur, virtute conformatur, ut apti ad honestè agendum efficiamur.

8. §. Ut non est affectus, ita neque potentia, cum hæc naturaliter nobis insit, cum mutetur, non secus ac reliqua naturalia, quæ vel nullo modo, vel difficulter deponuntur; quia non habet conjunctam electionem, adeoque non est in nostra potestate. Contrà in virtute circa hæc omnia est contrarium. Nam usu paratur & mutatur; quia ex virtuoso sæpè fit vitiosus: ex electione agit, ideoque nostræ potestati subjacet. Hinc tanquam Porisma sequitur, *virtutem esse habitum.*

9. §. Et *habitus electivus*, hoc est, cum proposito, & diu multumque deliberato consilio susceptus, sc. si ad operationem progrediatur. Omnis enim habitus electivus præsupponit hoc, quod sit practicus. Intelligitur autem electio non imperfecta, quia hæc inconstans est, & in pueros cadit, sed perfecta, quæ est præmeditata appetitio in nostrâ potestate existentium. Hoc ipso differt virtus ab actionibus brutorum, ab habitibus corporis connatibus atque insulis, intellectualibus, ab actionibus naturalibus, quæ naturæ instinctu sine electione fiunt, coactis & fortuitis, quæ posthabitâ omni deliberatione, suscipiuntur. Nam ubi nulla electio, ibi nulla est virtuosa actio.

10. §. Dicitur in Mediocritate consistere, quatenus affectus moderatur, atque actus dirigit. Affectus virtus temperat ita, ne vel

sint nimij, vel planè nulli, hoc est, ut ad medium reducat. In hoc sensu vocatur Mediocritas seu temperatura quædam. Græcis est *μεσότης*, ut & *ὀρθότης*, quæ vox ad accuratam virtutis formam proximè accedit. Actiones dirigit ita, ut servant medium inter utrumque extremum. Quo sensu virtus rectiùs appellari videtur medietas, quàm mediocritas. Hæc enim affectuum temperaturam, illa medium propriè notat.

11. §. Porrò quia virtus dicitur *consistere in mediocritate quoad nos*, hoc ipso indicatur, dari aliquam quandam mediocritatem, quæ ad nos non refertur. Hoc dicitur medium rei seu Arithmeticum, quod secundum proportionem Arithmeticam ab utroq; extremo æqualiter distat. Sic 3. inter 2. & 4. dicitur medius Arithmeticè: 9. inter 6 & 12, quia ab utroque tribus distat unitatibus. Medium personæ est, quod secundum Geometricam Proportionem uni extremorum vicinius est, alteri remotius. Ita Proportionales sunt 6. 4. 9. & 6. Nam sicut se habet 6. ad 4. ita novem ad 6. Atqui 6. est quaternarij Proportio sesquialtera. Ergo 9. senarij. Hoc medium est proportionale, ubi non simpliciter spectatur æqualitas, sed tantum similitudo pro circumstantiarum varietate.

12. §. Et hoc est medium illud, quod in virtute observari debet. Hæc enim non semper æqualia æquilibus tribuit, sed circumstantijs se se accommodat, in quibus omnis actionis vis versatur. Igitur est observandum, quando, ob quæ, erga quos, cujus gratia, & quomodo aliquid facere oporteat.

13. §. Tandem dicitur *habitus ratione definitus, sicut vir prudens eam definiret*. His ostenditur regula virtutis, scilicet recta ratio, secundum quam in tantâ circumstantiarum varietate mensurari debeat. Hæc in se complectitur principia practica nobiscum nata, ut sunt discrimina honestorum & turpium. 2. facultatem rectè judicandi, quæ actiones morales, earumque circumstantias congruè & apte discernit. 3. prudentiam longo rerum usu acquisitam. Prudens enim experientia edoctus in omnibus, quid singulis personis, locis temporibus atque alijs circumstantijs conveniat, probè intelligit.

14. §. Cùm autem sit difficile Medium invenire, quædam observatione digna hic loci præcipiuntur. Primum est, ab eo extremo,

mo,

mo, quod medio magis adversatur, ad id, quod medio magis propinquat, declinandum esse. In illo enim magis, quam in hoc peccatur. Virtutis autem studiosus ad id, in quo minus peccati committitur, tendat necesse est. Secundum est, ab ijs vitijs, ad quæ naturâ magis sumus proclives, magis abstinendum atque in contrarium esse nitendum. Ita natura timidus sectetur audaciam, ut tandem ad fortitudinem perveniat. Hic tamen cautè procedendum, ne, dum vitia vitamus, in contraria curramus. Tertium est, nunquam esse committendum, ut voluptatis causâ aliquid suscipiatur. Hæc enim multis modis impedit virtutis studium.

15. §. Causæ virtutis Moralis sunt vel *Internæ* vel *Externæ*. *Externæ* sunt efficiens & finis. *Internæ* *Materia* & *Forma*. *Efficiens* dispescitur in principalem & minus principalem. Hæc iterum in remotam & propinquam. Causa remota est Deus, à quo tanquam omnis boni fonte, virtus Moralis descendit, quæ bonorum longè est maximum. Propinquæ sunt actiones humanæ, & eæ quidem crebræ. Minus principalis vel est in homine, vel extra hominem. Quæ in homine, est naturalis impetus ad virtutem, seu naturæ bonitas, quæ sæpe indolis nomine exprimitur. Extra hominem est assuefactio seu educatio, quæ vel domi à parentibus vel foras à Præceptoribus contingit.

16. §. Materia in qua seu subjectum (materiam ex quâ cum sit accidens, non habet) sunt intellectus & voluntas. Materia circa quam seu objectum sunt affectus, in quibus moderandis tota virtutis visponitur. Formam propriè dictam itidem non habet, cum hæc sit forma simplex, subjectum accidentaliter informans. Formalis tamen ratio, ut forma specifica, loco formæ stat, quæ est rectitudo.

17. §. Effecta virtutis sunt imperfectionem, hoc est, exorbitantiam & intemperiem affectuum in homine tollere, appetitum circa voluptates & dolores moderari, ne jucunda nimium appetat, aut molesta nimium fugiat, hominem ad agendum ea, quæ honesta sunt, promptum facere, adeoque incivilibus actionibus perficere.

18. §. Hujus oppositum est vitium Morale, cujus Synonyma sunt impietas, improbitas, peccatum, turpitude, pravitas, malitia, mali

mali mores malum morale. Estque *habitus electivus à mediocritate deficiens, vel in excessu vel in defectu.* Utrumque vitium respectu mediocritatis vocantur extrema, quibus virtus ita opponitur, ut alterum superet, ab altero superetur. Hinc cum uno extremo comparatum fit majus quid, cum altero minus quid.

19. §. De naturâ vitij in Ethicâ optimo agimus jure, Nam contrariorum est eadem scientia & disciplina. Virtus autem & vitium sunt contraria: Ergò in eâdem disciplinâ considerantur, & quod sequitur, quia in Ethicis agitur de virtutibus, ibidem & de vitijs erit agendum. 2. Contraria juxta se posita magis elucescunt. Virtutem & vitia esse contraria, ex prioribus liquet. Hinc ut medium, in quo virtus dicitur consistere, perfectè & distinctè cognoscatur, adduntur extrema, inter quæ mediocritas servatur. Imò vitium sæpe virtutis speciem habet. Ne igitur pro virtutibus vitia apprehendamus, necesse est ut hîc loci de vitijs agamus. 3. Summo Bono civili contraria est summa miseria, qui in aliquâ disciplinâ & quidem in nulâ aliâ, quàm in Ethicâ tradi debet. Ergò & vitia, quæ ad miseriam istam nos deducunt, ibidem evolvenda veniunt.

20. §. Inter peccatum & vitium discrimen constituunt quidam, quibus adhæret Clemens Timplerus, ita ut peccatum sit nomen malæ operationis, quæ opponatur virtutis operationi: vitium autem sit nomen mali habitus, qui opponitur virtuti, quatenus habitum significat.

21. §. Verùm hoc harum vocum discrimen non ubique observatur. I. Nam vitium non tantùm significat malû habitum, sed omnem etiam malum actum, legi contrarium. In Ethicis virtuti opponitur tum quo ad actus, tum quo ad habitus vitiosos. Adde, quòd in actibus artis vitium etiam datur, nimirum, quando artifex aberrat & opus ad artem non rectè conformatur.

22. §. II. Peccatum non saltem operationem malam in specie, sed in genere quamvis rem malam notat, sive sit defectus, sive actus, sive habitus. Aliàs enim sequeretur, quòd peccatum originale, omisio rei bonæ & debitæ, inclinationes inordinatæ & defectus vitiosi non sint peccata, quia non sunt actus & operationes malæ. Patet ergò, duo hæc vocabula tantum discrimen
quan-

quandoque respuere. Quāquam vitium sēpius pro habitū aut qualitate permanente sumitur, non tamen semper, sed nonnunquam etiam pravos denotat actus.

23. §. Si tamen aliquod discrimen est observandum, hoc damus, quòd vocabulum vitij magis pertineat ad Philosophos, peccati verò magis ad Theologos; quòdque differant, ut generale & speciale. Peccatum enim in genere quamvis ἀνομίαν, vitium a. in specie pravum significat habitum. Unde omne vitium est unà peccatum, at non contrà: omne peccatum est vitium, quatenus hæc vox specialiter pro malo sumitur habitū.

24. §. Hoc quamvis causam propriè dictam non agnoscat, tamen nihil impedit, quò minus vitio causam aliquam generali sensū assignare queamus. In vitio autem duo sunt consideranda: materiale seu actus, & formale, seu inordinatio illius actūs. Quatenus verò actus ille est vitiosus, causam habet negativam, vel defectum rationis. Nam quia rectæ rationi non paret appetitus, nascuntur vitia. Causæ negationem excipit negatio effectus.

25. §. Quia verò vitium non est negatio simplex, sed privatio ejus, quod per naturam inesse deberet, ideò præter causam negativam alia positiva, per accidens vitiositatem produciens, quærenda est. Hæc à Philosophis statuitur nimius amor sensuum & eorum, quæ sensibus grata sunt. Talis namque rationem obfuscat, eamq; appetitui subjicit, ut pro virtute vitium eligatur. Quamprimùm hic menti hominis infidet, eam ita corrumpit, ut sicuti per naturam integram virtutibus delectari deberet, ita jam per naturam corruptam & usum rationis interceptum vitiis gaudeat studeatque. Ita Philosophi mancè & mutilatè de peccato loquuntur. Magis solidam affert causam Scriptura, quam nos consulimus.

26. §. Nota hic duplicem pugnam; Virtus enim vitio opponitur vel absolutè & secundum naturam suam, vel comparatè, & secundum similitudinem, quam habet virtus cum extremis, & extrema inter sese. Priori modo virtus magis discrepat ab extremis, quàm extrema à se invicem. Virtus enim est bonum quid, vitium ex genere malorum. Posteriori modo major est similitudo medij cum extremis, quàm extremorum inter se sunt. Undè
B
etiam

etiam pugna extremorum major inter se, quàm cum medio. Sic major est similitudo Liberalitatis & Prodigalitati, quàm Avaritiæ & Prodigalitati. Nam sicut Liberalitas consistit in erogando, ita & Prodigalitas. Avaritia autem tota est in accipiendo & retinendo.

Quæstiones.

Quæstio Prima.

An Virtus homini naturâ insit?

1. Negamus, quia 1. virtus moralis assuetudine mutari potest, ita ut, qui habitum virtutis habet, si vitiosis actionibus indulgeat, illo amisso, vitiosum actum contrahat. Nam experimur, multos homines solâ conversatione & consuetudine aliorum suos mores ita mutasse, ut quodammodo alij fuerint facti. Non solùm ex virtuosis sæpe fiunt vitiosi, sed ex vitiosis quandoque virtuosi. Quæ autem naturâ insunt, vel difficulter vel non mutantur. Ita lapis naturalem suum motum, quo deorsum tendit, perpetuo servat. Natura quamvis furca expellatur, tamen usque recurrit. 2. quia virtus non in omnibus hominibus, eandem naturam participantibus, reperitur: E. naturâ inesse nequit. Ratio connexionis, quia omne per se naturam aliquam consequens, semper illinc, ubi natura est. Docent hoc propria adjuncta. Cùm autem in omnibus hominibus eadem sit natura, utique consequentia illius omnibus Individuis inerunt. Hoc non esse, manifestum cuique; quia in multis nulla, in paucis vix aliqua deprehenditur virtus. 2. *Fit. ut id quod in se est, per naturam & per infusionem & per generationem.*

Quæstio Secunda.

Num Virtus moralis recipiat magis & minus?

1. Virtus consideratur simpliciter in se & sua natura, & comparatè, quatenus in certis existit subjectis. Priori modo non intenditur & remittitur, quia uniuscujusque rei essentia certa & constans est. Posteriori modo magis & minus recipit, non quatenus ultimam respicit perfectionem, sed quatenus indifferens est ad varias hominum actiones perficiendas. Nam cum virtus acquiratur

tur per crebras honestarum actionum exercitationes, sequitur, quò major vel minor est in homine assuefactio, eò magis & minus virtutis moralis habitum comparari.

2. Ad hæc oritur intensio & remissio virtutis ex apriore & ineptiore recipientis dispositione, ex constantiore vel inconstantiore delectatione, ex variis extrinsecis vel impedimentis vel adminiculis occurrentibus, veluti ex naturæ & fortunæ donis, tandemque ex firmiore & debiliore cum aliis connexione. Ob recipientium varietatem vario modo recipiuntur virtutes; has enim alij magis, alij minus assequuntur. Firmiores sunt, quæ cum scientia & sapientia complicantur. Gaudium est inæquale, quo homines in obeundo virtutis munere afficiuntur; quia alij magis, alij minus probâ actione latantur.

Questio Tertia.

Utrum Subjectum virtutis sit appetitus sensitivus, num verò intellectus & voluntas?

1. §. Vulgò duplex statuitur subjectum, ut *quod* & ut *quo*. Subjectum ut quod est solus homo, subjectum ut quo est facultas animæ imperans, nimirum intellectus & voluntas. Patet id ex sequentibus rationibus. 1. Hæc facultas vitiata fuit, non tantum ignorantia, verum etiam dominij ademptione in appetitum, corruptione & depravatione, intellectus & voluntatis propria & peculiari. Ignorantiæ medentur Virtutes Intellectuales: corruptioni resistunt & dominium restitunt Virtutes Morales: Ergò virtutibus imbutus sit intellectus necesse est: E. In facultate rationali imperante est virtus moralis.

2. §. Quia non appetitui sensitivo, sed facultati rationali imperanti competit Electio; hæc enim non sensu est, sed intellectu. Ubi autem electio, ibi virtus moralis; hæc enim dicitur habitus electivus: Ergò in facultate rationis imperante est virtus Moralis.

3. §. Notabis, Philosophum intellectui assignavisse virtutes Intellectuales, quatenus subjectum suum inhæsionis afficiunt; appetitui verò morales, quatenus operando foras in appetitum ejusque affectus agendo subjectum operationis respiciunt.

Questio Quarta.

Quæ sit forma virtutis?

1. §. Quidam privationem extremorum, quidam congruentiam cum rectâ ratione, quidam mediocritatem, quidam denique ipsam rectitudinem pro formali ratione habent. Ultimæ, prioribus tribus rejectis, scilicet habituales intellectus & voluntatis rectitudinem, legis naturæ consentaneam, esse virtutis animam, & nos adstipulamur. Nam quia virtus Moralis est moderatrix affectuum, & directrix actionum humanarum secundum rectam rationem, sequitur, quòd illi inhæreat habitualis aliqua bonitas & rectitudo, quæ efficit, ut effectus & actus humani rectè dirigantur, ne vel ad excessum, vel defectum aliquem inclinent.

2. §. Inde autem non sequitur, Aristotelis sententiam tanquam falsam esse reiiciendam, quæ virtutis formale, non rectitudinem, sed mediocritatem ponit. Nam & hæc vera est; explicat enim virtutis naturam non à priori, sed à posteriori. Nam mediocritas est virtutis essentialis consequens, rectitudo autem essentialis constituens.

3. §. Adde, quòd Aristoteles in mediocritate includat ipsam rectitudinem; quia fundamentum mediocritatis ponit rectam rationem, cum qua quicquid convenit in moralibus, rectum & mediocre est. Ut taceamus, quòd mediocritas sit infallibile rectitudinis signum. Quando enim cognitio nostra à posteriori ut plurimum incipit, ex mediocritate rectitudinem certè colligit.

Questio Quinta.

Utrum quælibet virtus inter duo extrema consistat.

1. §. Virtutem ut sic in mediocritate consistere in præcedente quæstione probatum dedimus. Oritur hinc dubium de nonnullis virtutibus, quæ non videntur mediocritatem circa duo extrema ubique servare, sed unum saltem extremum habere. Ita iustitia soli iniustitiæ opponitur. Circa Castitatem in excessu nullus peccare videtur. Magnanimitas & Magnificencia in summis honoribus obtinendis & maximis sumptibus impendendis ver-

santur

santur. Virtus Heroica supra humanam conditionem nos elevat.

2 §. Sed adhuc affirmativæ favemus. Justitia non saltem defectum, sed & excessum quoque admittit, licet nomine careat, eodemque justitio titulæ cum defectu veniat. Nam qui alteri nimium tribuit, injustus certè est in excessu. Ita & Castitas inter duo extrema medium servat. Libido enim, quæ dicitur vitium à mediocritate in appetendâ Venere ad nimium tendens, excedit: contra deficit nimia licitæ Veneris detestatio. Magnanimitas & Magnificencia versantur quidem in maximis respectu objecti: ratione verò circumstantiarum inter duo extrema medium observant; quia versantur in maximis sumptibus & honoribus, non eos appetendo plus, quàm oportet, sed in omnibus his modum debitum observando, & ad nimium vel parum inclinando.

Questio Sexta.

An virtus Moralis versetur circa voluptatem?

Versatur aliquid circa voluptatem, vel tanquam circa propriam materiam, vel ut circa id, quod propriam sequitur materiam. Hoc respectu pronunciamus omnem virtutem in genere circa voluptatem & dolorem versari, quatenus scilicet omnem operationem vel dolor vel voluptas comitatur, non quidem solius corporis, neq; solus animi; sed utriusque, principaliter tamen animi. Id patet; quia virtus versatur circa actiones, quarum perpetui comites sunt voluptas & dolor, cum omnis actio agendi vel jucunda vel molesta sit.

Questio Septima.

An actus Virtutum per legem naturæ imperentur?

1. §. Actus morales considerantur generaliter, quatenus boni sunt, & specialiter, quatenus tales sunt. Per naturam imperantur omnes generaliter, non specialiter. Nam lex naturæ in genere suadet, honestè esse vivendum. Ergò quicquid rationem honesti habet, illud omne lex naturæ præscribit. Multi verò dantur speciales casus & actus virtutum pro circumstantiarum va-

rietate, qui à lege naturæ non præscribuntur, licet horum genus sub ista contineatur. Aliàs enim non opus fuisset lege morali, alijsque humanis legibus, si omnes actuum species per naturæ legem imperentur.

2. §. Sequitur hinc, omnes virtutes esse secundum naturam, quatenus hæc vox sumitur, prout est homini propria. Quo stante, sequitur, quia virtutes & vitia sibi invicem contrariantur, quòd omnia vitia, in quantum sunt contra naturæ legem & rectam rationem, simul sint contra naturam homini propriam; quia à generali naturæ principio planè deviant.

Questio Octava.

An virtutis moralis plures constituentur species, & quænam illæ sint?

1. §. Quòd virtutes morales à se invicem specie distinguantur, patet; quia 1. ad distinctos pertinent appetitus: aliæ ad irascendi, aliæ ad concupiscendi appetitum. 2. distinctas perturbationes admediocritatem reducunt, & actionibus & externis objectis differunt. 4. actionibus hujus aut istius virtutis non statim omnes acquiruntur; justè enim agendo habitum acquirimus, non fortitudinis, sed justitiæ. Hinc experientia docet, diversas virtutes à diversis temporibus comparari diversis: imò has ipsas à se invicem separari posse, ut una absque alterius generatione vel destructione acquiri & amitti iterum queat. Concludimus ergò, virtutes morales specie distingui.

2. §. Quot autem & quænam illæ sint, porrò quæritur. Ex mente Aristotelis virtus vel est perfecta: vel imperfecta, vel perfectissima. Perfecta ratione objecti iterum subdividitur; hæc enim versatur vel circa corpus ejusque pericula & sensus, ut *Fortitudo* & *Temperantia*; vel circa bona & mala externa: nimirum aut circa pecuniam, ut *Liberalitas* & *Magnificentia*: aut circa honores, ut *Magnanimitas* & *Modestia*: aut circa iram, ut *Mansuetudo*; vel versatur circa conversationem, ut *virtutes Homiliticæ*: vel circa contractum, ut *Justitia*. Imperfecta est dispositio ad virtutem, ut *Continentia*

nentia & Tolerantia. Perfectissima est virtutum Moralium eminentia, ut *virtus Heroica.* Nota, quòd hæc respectu subjecti, in quo perfectæ vel imperfectæ existunt, intelligantur, ut in speciali *ἀρετολογία* videre est. Hanc virtutis Moralis divisionem in undecim species probat Armandus de Bello visu.

3. §. Inter has eminet *Justitia*; hujus enim actiones sunt præstantissimæ, utpote actiones nostras erga alios componere, reliquos congruenter gubernare, Respub. constituere, à ruina conservare, collapsas restaurare, prodesse omnibus, obesse nemini &c.

Questio Nona.

An mores animi sequantur temperamentum corporis?

1. §. Quamvis temperamentum corporis suo modo aliquid conferat ad virtutes & vitia, non tamen id facit, ut causa principalis, sed minus principalis. Ergò virtutes contingenter tantum sequuntur temperamentum; non enim per naturam nobis competunt, sed more & assuetudine comparantur.

2. §. Idem patet ex absurdis. Si enim mores temperamentum nostrum necessariò sequerentur, sequeretur 1. animi virtutes etiam brutis animalibus, temperamento præditis, inesse. 2. Virtutes nobis ingenerari, cum temperamentum homini innascatur. 3. inanes esse leges, dehortationes, præmia & pœnas; virtus enim, tanquam bonum hæreditarium, à parentibus in sobolem, mediante bona temperie, transmitteretur, 4. liberum hominis arbitrium in rebus civilibus non dari, sed temperamentum actionibus dominari: neque aliter facere posse homines, quàm quod temperamentum præcepit, cum tamen experientiâ constet, mores animi & in melius & in deterius sæpius esse mutatos. Nam boni quandoque evadunt mali, & mali quandoque boni. Sic Socrates cum à Physiognomone quodam ex externis signis stupidus & muliebris judicaretur, respondit: *Talis futurus eram, nisi naturam diligentiam correxisssem.*

3. §. Multò minus sequuntur influxum siderum cœlestium.
Nam

Nam hæc stante opinione, non essent mores, fatum Stoicorum, verò fatuum, introduceretur, educatio impediretur &c.

Questio Decima.

An actiones virtutem præcedentes & consequentes sint ejusdem speciei?

Non immeritò hîc dubitatur, quòd hæ actiones videantur se habere, ut virtuosum & non virtuosum. Sed cum Philosopho facimus, affirmativam stabiliente tribus rationibus. 1. Quia utraque actio circa unum idemque objectum versatur. Ita in Liberalitate ambæ circa pecunias occupantur. Actio ab objecto suam petit essentiam & denominationem. 2. quia in mediocritate consistunt, inter eadem extrema sc. defectum & excessum continentur, cum rectâ ratione consentiunt, & finem eundem respiciunt. 3. differunt secundum perfectum & imperfectum, quòd ante habitum sit quædam difficultas, & post habitum facilitas. Quæ verò ita differunt, res ejusdem speciei dici merentur. Nam magis & minus speciem non variat. Hinc concludimus, actiones virtutem præcedentes & sequentes esse ejusdem speciei.

Questio Undecima.

An vitia omnia sint paria.

Negatur. Nam 1. una virtus alterâ est præstantior. E. & vitium vitio est deterius, quia contrariorum eadem est ratio. Igitur quando excellentior virtus, tantò gravius erit vitium virtuti oppositum. 2. Omnis habitus pro objectorum diversitate variat; diversa enim objecta inferunt rebus diversitatem. E. & vitia sunt diversa, & quod inde sequitur, vitium, quod est circa hominem, ut homicidium, gravius est eo, quod est circa externa bona, ut furtum.

*Christe, tibi Grates, toto de pectore dico,
ut cæptis adstes tempus in
omne meis.*

05 A 728

ULB Halle

3


003 767 140



VO/A







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Practicã

genere,
reside,
VENDELERO,

Adjuncto,
stabit
S Kübell
tus
antemeridianis
minori.

RGÆ,
NERI, Acad. Typogr.
XXXIX.

